

NUMMUS MEMORIÆ DICATUS

PAVLI IV. PONTIFICIS: CVSVS

bello, ob regem Neapolitanum, contra Philip-
pum II. Hispaniarum regem, susce-
pto, Anno Christi

1556.



Raviter hic Johannes Petrus Carafa, qui Papa crea-
tus, Paulus IIII nominari voluit, de Ecclesiæ Ro-
manæ corruptelis cōquestus fuit, edito libro, quem
Pontifici Paulo IIII inscripserat. Idem postea 44.
Cardinalium suffragiis creatus Pontifex, quam
tantoperè urserat & exoptaverat, Ecclesiasticam
morum emendationem instituit: fuit author, ut in-
quisitionis Romanæ tribunal sanciretur: Simonia-
cas nundinationes sustulit: datariatus redditus su-

spendit: Judæorum avaritiam corripuit: Ecclesiarum bona alienata resti-
tuit. Et fuit hic ipse Pauli zelus diuturni gravisque belli causa: cum re-
gnum scilicet Neapolitanum, per fiscum, ad Petri spectare patrimonium,
pronunciari curasset: Rex Hispanus id sibi eripi nolens, Albanum contra
Pontificem misisset: hic rursus Gallorum Regem in auxilia sua pellexisset.
Vario Marte hoc in bello, ut prolixè id referunt Historici, dimicatum fuit:
captæ utrinque urbes nonnullæ: multæ oppugnationibus tentatæ. Ferra-
riensis Dux, miserè agro suo ab Hispanis vastato; verum illud sensit: Ma-
lum accipi non rarò, ob vicinum malum. Tandem cum Hispanus victo-
riam contra Gallum ad S. Quintinum obtinuisset, Pontifex ad pacis condi-